MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80408-8

AUTHOR:

SCHILD, [ROBERT]

TITLE:

DE RESPONSIONE QUAE IN AESCHYLI FABULA...

PLACE:

NORDHAUSEN

DATE:

1900

Master Negative #

91-80408-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schild, [Robert]
...De responsione quae in Aeschyli fabula Thebana inter binas nuntii regisque orationis intercedere creditur, vom Oberlehrer Schild... Nordhausen, Kirchner, 1900.
16 p. 25½ cm.

Programm des K. Real-gymnasiums zu Nordhausen.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-13-92 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

PROGRAMM

des

KÖNIGLICHEN REAL-GYMNASIUMS

zu

NORDHAUSEN.

SCHULJAHR 1899 BIS 1900.

VERÖFFENTLICHT

von

DEM DIREKTOR DES REAL-GYMNASIUMS

Dr. HERMANN WIESING.

Inhalt:

NORDHAUSEN 1900.
Druck von C. Kirchners Buchdruckerei (Inh.: Otto Witt.)

1900. Programm No. 278.

„De responsione, quae in Aeschyli fabula Thebana inter binas nuntii regisque orationes intercedere creditur.“

Haud raro fieri solet, ut viri docti si quam novam scriptoris vel interpretandi vel emendandi rationem invenisse sibi videntur, eam ratam firmamque esse velint, priusquam sententiam suam certis argumentis satis comprobaverunt. Haec quae dixi cum multas ad alias quaestiones philologicas tum ad responsionem illam quadrare puto, quam Ritschelius inter binas nuntii regisque orationes intercedere monuit. Minime dubium est, quin illa lex apud poëtas, qui fabulas docebant, in canticis iisque versibus, quibus veteres nomen „stichomythiae“ dederunt, agnosci possit, Ritschelius autem in eam opinionem ductus est, ut Aeschylum, quippe qui poëtarum omnium exsisteret ingeniosissimus et artificiosissimus, magnas maioris ambitus partes vel diverbii aequabiliter composuisse existimaret. Delitescere enim putavit in singulis orationum paribus responsionem, quae statim perspiceretur, dummodo versus ejicerentur ii, quos interpolatorum inscitia textui intulisset. Inde vero scripturae damna nata esse exposuit, quod interpolatores cum defectus exstare manifestos animadverterent, consilii poëtae prorsus ignari lacunas ex suo repararent. Orationem autem hiare si concederemus, nihil differre, utrum duo vel decem versus excidisse statuerentur.

Quae omnia quamquam probabititate quadam carere non videntur, minus tamen habent firmamenti. Nam si acciderit, ut eos quos vir doctissimus in suspicionem vocavit versus Aeschylo dignissimos suo jure stare evincatur vel levi tantum mutatione is sensus qui postulatur bonus elici possit, illa de oratione antithetica ratio nescio anad irritum redigatur.

Atque fuerunt, qui causas, quas, v. d. protulit, vehementissime impugnarent; Quorum inprimis laudandus est Heimsoethius, cuius tamen argumentationes praeterquam quod non ad omnia paria pertinent, remediis nituntur acrioribus quam quae probare possimus. In errorem contrarium incidisse video Stisserum et Martinum, qui textus nimis tenaces locos haud dubie corruptos interprctamentis artificiosissimis defendunt.

Ex iis qui Ritschelii vestigia premunt, maxime digni sunt qui memorentur Dindorfius, Keckius, Prienius, Weilius, viri de Aeschylo meritissimi, quorum iudicio hac in re aliquid ponderis tribuendum esset, nisi de sententiis suis comprobandis in viàs tam diversas abirent, ut orationum concentus magis refutari quam comprobari videatur. Quoniam igitur de hac aequabilitatis lege mira exstitit dissensio et adhuc exsistit, alienum non esse crediderium quaestionem denuo tractare, qua in tractanda si quid ad rem diiudicandam contulerim satis habebo.

Sed transeamus tandem ad singulas orationes percensendas. Primum orationum par (ed Herm 356—397) eodem fere modo dimensum videmus, nam regis oratio versus 20, nuntii 22 amplectitur. Quos numeros Ritschelius nequaquam tentavit, ut autem nihilominus responsionem efficeret plane perspicuam, a subsequentibus duos primos nuntii versus seiunxit. Eos enim quod ad omnes septem orationes spectarent prooemii loco stare contendit. Hoc argumentum, cui Dindorfius, Keckius, Weilius applauserunt, parum valet. Etenim si his duobus versibus prooemium contineri existimas, fieri non potest, quin versus, (630—33) qui similiter septem omnes orationes respiciunt, pro epilogo tibi habendi sint. Quem si ab antecedentibus secernis, septimi paris aequabilitas dilabitur. Prorsus falso Prienius diiudicavit cum v. 375 additamentum esse putaret librarii, qui nihil aliud spectaret quam ut rem explicatius enarraret. Immo in hoc quem Prienius eliminat versu summam inesse comparationis, qua Tydeus pugnae amantissimus cum equo bellatore confertur, Engerus recte exposuit. Quem ut hac in re sequor, ita a me impetrare non possum, ut versum qualem nunc legimus, integrum esse mihi persuaserim. Verbum enim „ὁρμαίνειν“ tragicis vix usitatum, quod notionem habet movendi, cum toto sententiarum connexu repugnare videtur. Nam quod interpretes nonnulli vocabulo illi eam vim injicere voluerunt, ut „tollere se arrectum“ significet, nullis exemplis comprobari potest. Haec parum respexerunt omnes ii, qui „ὁρμαίνει“ tuentur. Auxilium petendum est a scholiis, quae sic explicant: „οὕτως ἀσθμαίνει παὶ σπεύδει ὡς καὶ ἵππος πολεμιστὴς σάλπιγγος ἀκούων καὶ ἐπιθυμῶν εἴργεται πρὸς τοῦ ἐπιβάτου“ Hinc quidem id elucet scholiastam locum nostrum ita intellexisse, ut describatur equus fremens, qui similiter ac Tydeus pugnandi cupiditate inflammatus retineatur. Eiusdem sententiae fuit Hermannus, cuius emendatio „ὀργαίνει μένων“ haud immerito displicuit, quoniam „irasci“ de equis dici non potest. Neque ad veritatem accessit coniectura Heimsoethii „ἀκταίνει κλύων“ proponentis. Verbum enim „ἀκταίνειν“ uno tantum quo Aeschylus utitur loco (Eum. 36) annectitur obiecto. Magis criticis arrisit, quod Freyius suspicatus est. Is (de Aeschyl, scholiis Med. p. 9) exposuit in „ὁρμαίνει μένων“ non duas sed quattuor ultimas syllabas ortas esse ex errore librarii oculos ad versus superioris finem deflectentis, quem versum in archetypo sic lectum esse sibi persuasit

καθασθμαίνων μένει
μαίνει μένων

Quae suspicio certe probabilis esset, si inde levi tantum mutatione is qui requiritur sensus restitueretur, At vero conjectura, qua vir doctissimus „εἴργεται κλύων“ posuit, et violentior est neque poëtae satisfacit. Concedo rejiciendam esse Weilii sententiam, qua „εἴργεται κλύων“ significare credit „inter audiendum prohibetur, ne audiat“ nihil enim nos impedit, quominus participium „κλύων“ concessive accipientes vertamus: „Equus quamquam tubae sonitum audit, retinetur. Sed hoc vitio Freyii emendatio laborat, quod in ea novum comparationis momentum non cernitur. Non ita enim multum verba „μένειν“ et εἴργεσθαι, quibus vis „manendi“ communis est, inter se differunt ac jejune meo quidem iudicio dictum esset, si poëta in hunc modum scripsisse cogitaretur: „Tydeus pugna prohibetur velut equus fremens manet, qui tabae sonitum audiens retinetur. Eam enim quam vir doctissimus vitare studet iterationem aliis fere verbis ponit. Deinde non intellego, cur participium „μένων“ quod optime se habet, in „κλύων“

corrigere opus sit, praesertim cum satis constet equos bellatores non tum demum vehementer turbari atque excitari, cum tubae sonitum audiunt, sed eo iam temporis momento, quo signum dari exspectant. Nihil autem offensionis habet repetitio verbi „μένειν“ quod duplici illa notione „manendi (v. 370) et exspectandi (371) excusatur. Quin etiam nescio an poëta de industria bis „μένειν“ posuerit, quo efficacius aviditas dimicandi et mora sibi opponantur. Cum haec ita sint, respuo Weilii conjecturam „ὄρθιον κλύει“, in qua, ut alia omittam, adiectivum „ὄρθιος“ supervacanuum est, quoniam in tumultu, qui iam ante pugnam excitari solet, tubae sonitum magna voce edendum esse per se patet. Neque Lowinskio assentior, qui „ὁρμᾶ μώμενος“ conjiciens quamvis κλύων vel κλύει aptum non esse intellegeret, nimis textu recessit.

Quoniam igitur iis quas protuli causis „μένων“ scrupulum nobis injicere non debet, verisimillimum est corruptelam latescere in „ὁρμαίνει“. Quod suspicor ex „ὄρνυται“ corruptum esse. Haec vox Homero et tragicis usitatissima, quae vim excitandi continet, bonum, ut opinor, fundit sensum. Quam coniecturam si probaveris, nuntii sermo bene sic procedit:

„ἵππος χαλινῶν ὡς κατασθμαίνων μένει
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὄρνυται μένων“

i. e. Tydeus pugna prohibetur velut equus fremens, qui tubae sonitum exspectans excitatur.

Secundum orationum par iisdem versuum numeris absolutum lacunosum non esse omnes consentiunt. Jam persequar tertium, in qua nuntii sermo versus 15 continens integer, regis responsum, cui versus 9 tributos esse videmus, mutilum putatur Prienius pronomine demonstrativo „τόνδε“ (v. 453) lacunam indicari docet, in qua potissimum jactabundae illius Martis irrisionis mentio facta sit. Ritschelius hoc ipsum τόνδε in discrimen vocavit, quod neque ad Megareum redire possit, qui pariter atque ceteri duces Thebani a scena cogitandus sit absens, neque ad „τόν φερέγγυον“, quod vim praedicati, non subiecti hoc loco induat. Quam ob rem τῷδε scripsit defectumque 6 versuum statuit, 4 ante 453, 2 post 453. Keckius 6 trimetros post 453 excidisse censet. Heimsoethius, qui Ritschelii conjecturam laudat, de lacuna collocanda, prorsus dissentiens ad verba „πέμποιμ᾽ ἂν ἤδη τῷδε“ ex sequentibus supplevit: „Μεγαρέα“, quae ratio, ut iam hic praecipiam, nemini fere placuit. Sed videamus, antequam regis responsum accuratius examinamus, quid de Eteoclo, tertio adversario, relatum sit. Nuntius superbia descripta Eteocli, qui fiducia victoriae elatus sperat fore, ut a turribus ascensis ne Mars quidem se depellat, pergit: „Huic viro mitte, qui iugum servitutis urbi imponi non patiatur“. Ad haec rex respondet: „Mittam iam hunc sed cum casu quodam. Et missus est iactantiam manibus tenens, Megareus“ etc. Quis hoc in loco non iure haereat? Primum dubii sumus, quonam τόνδε respiciat. Etenim si quod nonnulli volunt, pronomen referas ad φερέγγυον, linguae leges obstant, quibus, ut Ritschelius rectissime animadvertit, τοῖον vel τοσοῦτον efflagitatur. Quod si negatur, quamquam negandum non est, monuerim τόνδε ad praesentia redire non posse propter discrimen inter ὅδε et οὗτος statutum, quo illud res oculis vel cogitationi suppositas demonstrat, hoc praegressa in memoriam revocat. Qua de causa ii, qui textum servare student, τόνδε cum sequentibus jungunt. Stisserus et Richterus pronomine demonstratio putant hominem quendam notum scilicet Megareum sive digito sive mente significari, qui statim abeat. Cum autem hac quoque interpretatione non satis appareat, contra quem Megareus eligatur, Stisserus pro τώ conjecit τῷ, qua conjectura quamvis levi nihil absurdius cogitari potest. Nemini enim, credo, facile persuadebitur, Aeschylum sic dixisse: „Mittam jam hunc, sed cum casu ei“ qua in re ambiguitatem augeri manifestum est: Aeque frustra ceteri viri docti olaboraverunt, qui solis interpretamentis loco nostro obscuro lucem afferre sibi visi sunt. Unice verum perspexit Ritschelius, cuius emendatio τῷδε pro τόνδε ut est facilis ita ad regis dictionem accommodota. Redit enim hac ex conjectura pronomen ad Eteoclum, cui rex adversarium oppositurus est qui impediat, ne jactantia hostis invisi minas ratas faciat. Restituta tamen hac ut opinor genuina

sententia nequaquam omnes difficultates removentur. Quaeritur enim, quo verba „σὺν τύχῃ δε τῳ“ pertineant. Quae si iunguntur cum verbis proximis „καὶ δὴ πέπεμπται“ quod sunt qui suadeant, sensus meo quidem iudicio omnino falsus hic funditur: „Megareus deorum numine prospere cum Eteoclo congregatus est“ cuius rei ratio non perspicua est. Nulla enim virtute singulari Megareus ceteris ducibus adeo praestat, ut iure de eo tantum dici possit „κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων“. Praeterea autem non aliter ae si opinioni nonnullorum obsequentes post τῳ interpungimus, deest objectum, quo mentio quidem facienda est eius, quem rex emittit. Quapropter prc σὺν τύχῃ δέ τῳ equidem propono: „σὺν τύχῃ τινά. Si sic mecum scribas, imtium regis responsi optime nuntii adhortationem excipit. Quod quo melius diiudicetur, ea quae autecedunt, brevi repetere mihi liceat. Speculator postquam Eteoclum tertiam portam sortitum esse retulit, cousueto more viri audacis signum depingit, cui litteris insculptum sit: „Ne Mars quidem me de turribus ascensis dejiciet.“ Deiude monet regem, ut aliquem opponat illi parem. Rex gloriosa Eteocli vaniloquentia vehementer exacerbatus raptim respondet: „Huic iam mittam cum eventu quendam“ talem cui certo curae sit, ne Eteoclus victoriam referat. Tum vero paululum meditatus, quis Thebanorum maxime idoneus sit ad victoriam ab Eteoelo reportandam pergit: At profecto, non est, cur diu mecum considerem, iam habeo, quem eligam, scilicet Megareum. non solum Eteoclo parem sed multo superiorem, quia iactantiam non lingua sed manibus tenet. Nonne sermo regis hoc modo belle procedit? De pronomine autem indefinito τις, quod Aeschylus interdum sic usurpat, ut hominem quendam significet, conferas velim v. 383.

Haud parvi ad locum nostrum recte intellegendum momenti est, quid de illa quaestione statuatur, utrum duces Thebanorum in scena adesse cogitandi sint necne. Nonnulli, quibus Roehlickius assentitur, fingi tantum praesentiam defensorum existimant. Qua cum sententia non pauca sunt, quae repugnare videantur. Gomparantibus enim orationum cetera paria nobis occurrunt haec tempora futura: v. 376· ἀντιτάξεις v. 416 τίς ξυστήσεται, ex quibus colligatur necesse est, nuntium quidem exspectare regem tempore demum proximo propugnatores ad portas defendendas emissurum esse. In eandern opinionem praeconis adhortationibus ducimur: 451 πέμπε φερέγγυον 517 πέμπειν ἐπαινῶ, quas manifesto spectare ad tempus posterum nemo est quin videat. Temporibus autem perfectis illis, quae sententiam nostram refellere creduntur: 429; αἴθων τέτακται λῆμα et 454 καὶ δὴ πέπεμπται non ita multum tribuo, cum in iis, ut ipse Ritschelius concessit, notio praesentis insit, quam ob rem figurae sunt rhetoricae. Quae omnia quamquam Ritschelius negari non posse putavit, tamen ab hac fictione, qua rex delectum iam antea habitum nunc demum enuntiat, non abhorruit. Eam sententiam defendit Roehlickius addens „nuntium iam non habere cognitum, quosnam duces rex elegisset, nam apud portas neminem conspexisse eum nisi duces Argivos; Thebanos iis nondum oppositos esse; hoc demum fieri, dum speculator in scenam redeat“ Sed hac in re virum doctum recte non iudicasse documento sunt et pronomen οὗτος saepius ab Aeschylo adhibitum et versus

389: τὸνδ' ἀντιτάξω προστάτην πυλώματον

et 602: ἐχθρόξενον πύλωρον ἀντιτάξομεν

qui clare ostendunt a rege nondum propuguatores dimissos esse. Nam profecto linguae vim afferre esset, si rex ipse diceret: „Hunc opponam propugnatorem,“ cum is, qui ita significaretur, iam esset oppositus. Praeterea num credibile est Aeschylum, quem pompae amantissimum fuisse veteres una voce tradunt, occasionem omisisse hastas, clipeos omnemque armaturam oculis subiciendi Atheniensium, quorum animos ex omnibus, quae pertinebant ad bellum, illa quidem aetate oblectationem capere haud ignorabat? Equidem poëtam nostrum consulto rem instituisse contendere ausim, ut ducum Thebanorum aspectu varietatem quandam daret orationesque redderet aliquanto vividiores et efficaciores. Recedendum igitur suadeo

a sententia Ritschelii, Roehlickii, aliorum. Neque tamen astipulari possum Richtero, qui defensores, simulatque nominati essent, ad nutum regis statim abire monuit, quae opinio nihil habet, quo satis firmetur. Est enim non verisimile propugnatores iam scena discedere, dum rex in virtutibus praedicandis versatur ipsorum, quos iis laudibus sine dubio inflammari vult. Porro tali Thebanorum abitu, qualem Richterus cogitat medias in orationes incidentem facile fieri potuit, ut spectatorum animi attenti ab ipsis orationibus averterentur. Quam ob rem firma mihi stat sententia Thebanos ad suum quemque locum tum demum festinare, cum rex singulas de singulis ducibus orationes habitas ad finem adduxit. Quae opinio eo magis probabilis videtur, quod chori invocatione deorum subsequente intervallum datur, quo non solum defensoribus apte licet ad portas designatas abire, sed etiam spectatoribus paulisper animum colligere. Sed ut revertamur, unde profecti sumus, initium regis responsi dubitationibus obnoxium non est, dummodo textum corruptum, non lacunosum hoc modo emendes:

„πέμποιμ' ἂν ἤδη τῷδε σὺν τύχῃ τινά·
παὶ δὴ πέπεμπται κόμπον ἐν χεροῖν ἔχων.

Nam quod sunt qui verbo „πέμπειν“ in hoc orationum pari ter repetito vehementer offendantur (quamquam Πάρεσται vel simile quid mallem) de lacunis notandis nihil comprobat, quoniam eiusmodi iterationes poëtis scenicis haudquaquam sunt inusitatae. Optime igitur mea quidem sententia regis oratio sic exorditur. Mittam iam huic cum eventu quendam. Jamque missus est iactantiam manibus tenens scilicet Megareus. Omnino autem non intellego, cur reprehendatur, quod rex Megarei nomen non sermonis initio commemorat. Hoc de industria poëtam ad augendam eius vim retinuisse Ritschelius vere perspexit. Sed videamus quales viri docti ponant defectus. Ritschelius ante v. 453 sex trimetros excidisse opinatus est, cuius rei iustam causam non attulit. Nam ante πέμποιμ' ἂν orationem non hiare, inde apparet quod hoc verbum haud dubie extremum nuntii verbum „πέμπε“ respicit. Quod Weilius bene exposuit, attamen magnopere peccat, cum Keckium sequens defectum post 453 indicet. Pariter atque Ritschelius requiri dicit regem fusius verba facere de Marte, vetusto Thebanorum patrono et de naturali quadam necessitudine, qua Megareus ut indigena cum hoc coniunctus sit. Idque summo iure exspectari, cum Eteoclus Megarei adversarius ad eam iactantiam processerit, ut vel Martem irrideret et ad pugnam quasi provocaret. Equidem me nihil desiderare liberrime confiteor. Nam non puto poëtam ea quae de primo propugnatore (conf 393 ssq.) iam commemoraverat, hoc nostro loco repetere voluisse. Aeschylum vero explicatius de Marte locutum non esse, ex eo elucet, quod chorus non Martem, sed Jovem ut deum tutelarem implorat. Excepto enim septimo pari chorus non Martem sed Jovem ut deum tutelarem implorat. Nam chorus in singulis cantilenis responsa sequentibus eum deum invocat. cuius a rege in oratione proxime procedente sive nomine sive re ipsa mentio facta est.

Concludere igitur cogimur futurum fuisse ut chorus Martem nominaret, si fusius rex de eius consilio exspectando verba fecisset. Quod cum negari debeat, manifestum est a rege non hoc modo Martem commemoratum esse quo Ritschelius suspicatus est. Quae sententia magis etiam firmatur verbo „κόμπαζ“ quod regis animum festinantem vaniloquentiaque Eteocli iratum luculenter prodit, quo finet orationem his verbis: „Tu effer laudibus alium, de hoc iam me piget verba perdere; quam primum refer de ceteris Argivorum ducibus.“ Defectus igitur, quos in regis responso viri docti indicaverunt, non sunt, ac cum nuntii sermo regis responsum sex versibus superet, illa de responsione opinio labefactatur.

Jam transeamus ad quartam orationum par, in quo speculatoris sermo nihil continet, quod iure in discrimen vocari possit. Perperam enim Prienius versum 481 delevit causam afferens eum inutiliter additum esse, quia iam in antecedentibus satis expositum sit, qua de causa Hippomedon terrorem magnum iniciat. Praeterea vir doctissimus enuntiato „φόβος πομπάζεται“ offenditur, quo „timor iactatur“ pro

„timor iactantia efficitur“ nimis audacter dictum sit. Qua in re Prienius praetermisisse videtur nuntium, quo gravius declararet, quantopere Hippomedon timendus esset, non sine causa iterum efferre iactentiam exeunte oratione, ut rex in adversario eligendo maiorem etiam adhiberet cautionem. Illud vero „φόβος κομπάζεται“ minime abhorret ab Aeschyli ratione dicendi, cuius ea quae hic cernitur granditas maxime propria est. Ceterum monuerim, quod iam Martinus vidit, oratoriae aequabilitati magis convenire epilogum ex pluribus versibus quam ex uno constare, ut etiam orationes I, II, III, VI clausulam duobus versibus effectam ostendunt. Neque magis fidem sibi conciliare potest sententia Weilii, qui tres lacunas in oratione nuntii cognosci existimat, primam post v. 469, ubi dicit: „Ante clipeum duobus versibus deperditis alia Hippomedontis arma ingentia fortasse galeam commemorata, fuisse suspicor ut v. 361 in Tydei descriptione huic antithetica“. Sed hoc non ita esse facile perspicitur, quod rex, qui verborum nuntii ubivis accuratissime rationem habet, haec quae Weilius desiderat arma ne syllaba quidem in memoriam revocat. Alteram unius versus lacunam v. d. post v. 475 notavit, ubi Typhonis corpus medium locum obtinuisse dicendum esset. Cui argumento non plus tribuendum est quam priori. Nam ne, ut alii interpretes, reticentiam Aeschyli quandam proferam, qua non omnia enarrat quae scit, ex regis responso non apparet ea ratione qua Weilius credit Typhonem depictum esse. Nihil aliud enim rex de Hippomedonte exponit nisi: „Hippomedon Typhonem ignem ore exhalantem gerit, Hyperbius autem Iovem fulminantem. Nullum igitur vestigium talis qualem Weilius postulat descriptionis invenitur. Tertiam duorum versuum lacunam Weilius post v. 477 statuit, maxime ut poëta commode pergeret: „αὐτὸς ἐπηλάλαξεν“. Quae sententia cum iis nitatur, quae v. d. iam de prioribus duabus lacunis explicuit, quos nullo iure statui supra demonstravi, uberius de ea disserere supersedeo. Facile autem credo suspicio movetur Weilium, quippe qui regis responsum contra Ritschelium defendat, speculatoris orationem ideo potissimum tentavisse, ut legem perferret aequabilitatis, cuius eum amantissimum esse haud ignoramus. Quoniam igitur nuntii orationem lacunosam non esse, immo omnia optime se habere evicisse mihi videor, liceat inquirere iu exitum regis responsi, quod dubitationibus vel gravissimis locum dedit. Creditur enim textus omni omnium vitiorum genere tam depravatus tamque laceratus, ut vix restitui possit. Atque profecto, habet haec ratio quo defendatur. Praebet enim codex Mediceus turbatum versuum ordinem, qui sic ut nunc exstat nemini placere potest. Sed quaeritur, num tot quot Rischelius vult versus ejiciendi vel, ut alii contendunt, loco pellendi sint. Ut iam a Ritschelio incipiam, ille delevit versus 495, 498—501, iu quibus parum concinnis loquacitas quaedam insit ab Aeschylo prorsus aliena. Quod priusquam discernatur, examinauda sunt quae praecedunt. Rex dixerat: Mercurius prudenter adversarios composuit, iufestus enim vir viro occurret et iidem deos illos infestos in clipeis portant, cum illi Typho, huic Jupiter patrocinetur. Nonne rex pergere debuit: „Cum iam non nescii simus Jovem Typhone superiorem esse, necessario nobis sperandum est, viros, qui deos illos in clipeis gestant, similiter ita pugnaturos esse, ut Hyperbius Jovis auxilio gloriosam sibi victoriam consequatur? Is tamen sententiarum connexus impeditur atque tardatur versu 495: „κοὔπω τις εἶδε Ζῆνα που νιπώμενον, qui aperte prae se fert signum interpolatoris. Inutiliter enim et inepte exponitur, quod iam in xerbis πρὸς τῶν κρατούντων“ inest et declarare minime opus est. Idem sentio de versu 498: „εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ“ qui fiduciae, quam rex v. 497 ostendit, plane est contrarius. Deletis igitur his duobus versibus ceteros retineo. Nam quod nonnulli critici in versu 496: „τοιάδε μέν τις προσφίλεια δαιμόνων“ haeserunt, quia vox „προσφίλεια“ in Atticis scriptoribus praeter hunc locum lecta non sit, non est magni momenti.

Quid, quaeso, fieret, si omnia ἅπαξ λεγόμενα Aeschylo abiudicaremus? Huc accedit quod προσφίλεια sine dubio legitime ductum est ab adiectivo προσφιλής v. 561, ut προσήνεια a προσηνής, συντέλεια a συντελής, alia.

Hunc autem versum non ita accipio ut significet: „talis est numinum inter se amicitia“ sed ut potius cum Dindorfio interpreter: „Sic dispertita est deorum amicitia, ut Argivis Typho, Jupiter Thebanis favere videatur.“ Quem si ita explicas, recedendum est ab opinione Heimsoethii, qui vocabulum „ξυναλλαγαί“ ante δαιμόνων inserit. Cum versu 496 arctissime cohaeret v. 499: „εἰκὸς δέ πράξειν ἄνδρας ᾧδ᾽ ἀντιστάτας“. Etenim postquam rex exposuit: „talis est dispertita deorum amicitia“ transitus est facilis: „Hinc colligi debet fore ut viris infestis similiter atque diis accidat.

Laudo igitur Kirchhoffii coniecturam, ex qua v. 499 inter versus 496 et 497 reponitur. His praemissis versuum ordo meo quidem iudicio hic fuit:

494: σταδαῖος ἤσται διά χερὸς βέλος φλέγων
495: deleo
496: τοιάδε μέντις προσφίλεια δαιμόνων
499: εἰκὸς δὲ πράξειν ἄνδρας ᾧδ᾽ ἀντιστάτας
497: πρὸς τῶν κρατούντων δ᾽ἐσμὲν, οἱδ᾽ἡσσωμένων
498: deleo
500: Ὑπερβίῳ τε πρὸς λόγον τοῦ σήματος
501: σωτὴρ γένοιτ᾽ ἂν Ζεὺς ἐπ᾽ ἀσπίδος τυχών·

Quae si probantur, nuntii cratio composita est ex versibus 15, regis ex versibus 18, quo numero responsio quam Ritschelius contendit, ad irritum redigitur.

Magnas turbas quintum par excitavit, in quo secundum codicum auctoritatem nuntio versus 24, regi 13 tribuuntur. Quae res cum legem aequabililitatis manifesto dissuadeat, viri docti totum qui dicitur apparatum criticum exhauserunt, ut concentum orationum quendam efficerent. Ritschelius primo iam in exordio nuntii sermonis nomen Parthenopaei requirit, quia ceterorum quoque ducum nomina in initio posita sint atque permirum esse, poëtam copiose de homine loqui et nomen eius per ambages significare, nomen vero ipsum post longam demum versuum seriem enuntiare idque eo loco, quo inusitata nominis proprii παρθὲνοπαιος prosodia dubitationem iniciat. Porro exeuntem orationem, pergit, clausula binaria carere, qua ceteri nuntii sermones terminentur. Ad haec versum 530 perperam repetere minas Parthenopaei v. 512 relatas et eo magis offendere, quod minas, non facinora metuenda esse demonstret. Quare magna cum veritatis specie sequi post tertium versum orationis versum aliquem inserendum esse cum nomine Parthenopaei versum 528 supplemento amplificatum ad Parthenopaeum respiciente cum v. 529 ante vv. 526, 527 reponendum, denique duorum versuum defectum indicandum esse.

Qua in re vir praeclarissimus non recte iudicasse mihi videtur. Haud dubie enim poëta noster hunc sermonem prorsus aliter comparavit ac ceteros omnes et exsistunt causae gravissimae, cur a consuetudine nominis statim in initio edendi recesserit. Optime Heimsoethius animadvertit Parthenopaeum origine, formositate, adolescentia laudatis (cfr 513, 514, 517) non solum Eteocli, sed etiam spectatoribus haud ignotum fuisse. Hoc potissimum argumento ductus Prienius nomen ipsum delevit et v. 528 ὁ παρθένου παῖς emendavit. Quam emendationem quamvis probabilis videatur, tamen rejicimus, quia poëtarum consuetudinem fuisse coustat, ut, etiamsi in nomine ludunt, nihilominus nomen ponant aperte Conferas velim Soph. O. C. 1313—1322, Eur. Phoen 119—192. 1104—1140. Qua de causa in sententiam abeo Weilii, qui credit Aeschylum eo quod adolescentiam, formam egregiam, originem fabulosam enarravit et his minas eiusdem adolescentis atroces opposuit, audientium animos suspendisse exspectatione, quam ipso nomine in exitu demum orationis proferendo expleverit. Excusari igitur potest traditus versuum ordo. Non magis prospere cessit Ritschelio, quod de productione syllabae secundae insolente nominis „παρθὲνοπαιος“ protulit. Sunt enim congesta exempla gravia, quibus apparet poëtas nequaquam talem

licentiam reformidavisse. Vide praeter versum in hac nostra fabula laudatum 469: „Ἱππομέδοντος“. Choeph. 1046: φαιοχίτωντες. Soph. Ag. 210 alia. Eiusmodi vero licentiam spectatores minus etiam aegre tulisse puto, quia nomina propugnatorum Argivorum et Thebanorum similiter atque ducum Homericorum adeo nota erant, ut ea mutare poëtis non liceret. Quapropter etiam Sophoclem et Euripidem eandem in his nominibus propriis libertatem sibi vindicare videmus. Cfr. Soph. O. C. 1313—1320. Eur. Phoen. 119—92. Suppl 858 sqq. Sin vero nomen Parthenopaei suo loco stare metrumque nullas dubitationes movere conceditur, Keckii coniecturam respuamus necesse est, qua versum 527 ponit ante v. 526, post v. 528 duorum versuum lacunam statuit, vv. 529, 530 in regis orationem traicit, cui initium deesse cum Ritschelio existimat. Coniunxit autem Keckius „μέτοικος“ cum „καπηλεύσειν“, quo melius cognosceretur, Parthenopaeum, quamquam esset Argivorum metoecus, non ut nomen indicaret, cauponantem sed belligerantem se praestaturum esse. Vocabulo enim „μέτοικος“ alludi exposuit ad negotia inquilinorum. Haec ratio refellenda est, quod nusquam nuntius adversariorum contemptim mentionem facit, immo in eo maxime ponit studium, ut ingentem Argivorum animum cupiditatemque pugnandi magna cum severitate describat. Non satis igitur mihi probatur illa vis, quam Keckius voci „μέτοικος“ injicit ideoque non est cur ordo versuum invertatur.

Finem vero sermonis 529, 530, ante quem duos versus excidisse Keckius monuit, in quibus aptius adhortatio regis exprimeretur, idcirco regi tribuit, quia verba „καλὰς τροφάς“ propter ironiam, quae iis contineretur, magis ad regem quam ad nuntium quadrarent. Qua in argumentatione hoc unum reprehendo, quod vox „τροφάς“ non praemia educationis, ut vir doctissimus explicat, sed „educatio“ significat (id quod v. 640 confirmatur. Praeterea autem, quod maioris est momenti, in exeunte praeconis oratione nihil excidisse, ex regis quibus orditur verbis intellegitur, quae ea quae dicitur constructione κατὰ σύνεσιν spectant ad praecedentem nuntii versum „Ἄργει“, de quo paulo infra disputabimus.

Dindorfius denique versus 527—30 interpolatorem sapere sibi persuasit, qui consilii poëtae ignarus versibus quattuor confuse additis gravem sententiam, qua nuntii sermo v. 526 finitus esset, inepte attenuavisset. Haec non multum valere fore spero ut pateat ex regis oratione tractanda, quam Dindorfius pro mutila iam tum habuit, cum de responsione nihil expositum erat. Ac maxime in ius vocatum est sermonis initium, in quo Ritschelius, Prienius, Keckius cum Dindorfio consentiunt subiectum requiri verborum τύχοιεν et φρονοῦσιν. Hoc vero facile ex versu antecedente (530) suppleri posse sententiarum connexus demonstrat. Nuntius orationis suae finem fecerat his verbis: „μέτοικος Ἄργει δ'ἐκτίνων καλὰς τροφάς“ id est; „Argo pro educatione bona gratiam referens“ nonne idem est atque Argivis gratiam referens? Num igitur dubium esse potest, quin, cum rex exordiatur: „εἰ γὰρ τύχοιεν ὧν φρονοῦσι πρὸς θεῶν, in verbis τύχοιεν et φρονοῦσι subiectum Argivi latescat? Iis vero qui omnino oportere contendunt subjectum aperte indicari, commendo C. H. Hauptii coniecturam in versu subsequente αὐτοίγ' pro αὐτοῖς scribentis, quamquam equidem eam necessarium non puto. Sed alias insuper dubitationes multo graviores Ritschelius attulit. Nullum enim sensum versus 531, 532, 533 fundere nisi hunc: „Si votorum compotes fierent, misere perirent“ quibus in enuntiatis tautologiam inesse intolerabilem existimavit, quia apodosis repeteret protasim. Talem cogitationum perversitatem Byzantinorum opera profectam esse, qui cum initium regis responsi laceratum vidissent, ex suo lacunam resarissent. Quapropter v. 531 restare suspicatus est ex longiore praefatione, quae nomen Parthenopaei, nefarias omnium hostium iactationes, exspectationem auxilii a diis ferendi amplexa sententiarum connexum in hunc fere modum praebuisset. „Si isti a diis impetrarent, quae in animo habent, dii iniuste facerent. Iam vero cum in ipsos deos peccent, istis minis iactabundis funditus peribunt. Omnino probabilis esset Ritschelii sententia, si profecto verbis „εἰγὰρ τύχοιεν ὡς φρονοῦσι“ ea vis inesset: „Si votorum compotes fierent, miserrime perirent“ neque haec absurditas tolleretur

emendatione Heimsoethii, qui pro ὀλοίατο proposuit ὀλοίμεθα, quo sensus perinde perversus exsisteret „si impetrarent, quae machinantur, miserrime periremus.“ Sed ita res se non habet. Etenim equidem regis verba sic interpretanda esse credo: „Utinam iustam mercedem ex illis ipsis signis et verbis acciperent, mehercule miserrime perirent.“ Eam interpretationem suppeditare videtur scholiasta: „εἴθε γὰρ παρὰ θεῶν τύχοιεν ἐπαξίως ὧν φρονοῦσιν ἀνοσίων καὶ ἀλαζονεύονταί. ἐπὶ τῶν ἀσπίδων κομπάσματα ἔχοντες. Ad tale votum etiam chorus respicit verbis; „εἴθε γὰρ θεοὶ τούσδ' ὀλέσειαν ἐν γᾷ. Attendendum autem reor ad verba πρὸς θεῶν et αὐτοῖς κομπάσμασι, quae maxime sibi opposita luculenter ostendunt irrisionem regis, qui haec ipsa, quibus Argivi gloriantur, iis vertit in perniciem. Vide quam apte omnia inter se cohaereant.

Exeuntem nuntii sermonem, quo minae omnium adversariorum brevissime repetunter, rex, ut est escacerbatus, sic arripit, ut statim de his universis adversariis verba faciat ac tum demum ad Parthenopaeum ipsum redeat. Hunc autem antea nominatum a rege non esse, perspicitur v. 534 „ἔστιν δὲ καὶ τῷδ' ὃν λέγεις τὸν Ἀρκάδα“ qni manifesto spectat ad nuntii verba 528 „παρθενοπαῖος Ἀρκάς“ Aliud orationis hiantis argumentum protulit Prienius. Is enim ante versum 531 signa lacunae posuit, in quam incidere voluit mentionem auxilii ab Amphione exspectandi, cuius monumentum v. 509 descriptum esset similiter atque Palladis Oncae in quarta regis oratione invocatae. At haec quae postulatur analogia non ita premenda est, ut quasi ad amussim aequabiliter omnia poëtam composuisse credamus, quem quintum quidem orationum par longe aliter quam cetera instituisse iam supra exposuimus. Suspicandum igitur est Aeschylum similem cogitationum iterationem vel de industria silentio praeteriisse vel monumentum illud eo tantum consilio commemoravisse, ut locum describeret. Restat ut versus 539—42 examinemus, in quibus viri docti magnopere haeserunt atque adhuc haerent.

Vituperant enim, quod in v. 541 desit particula, quae coniungat enuntiationem cum praecedente et tacite novum subiectum inducatur, eo molestius, quod in superiore sententia accusativi sint εἰκώ et φέροντα. Qua de causa Hermannus unius versus, Ritschelius et Keckius duorum versuum lacunam notaverunt. Textum nobis traditum integrum non esse luce clarius est. Non enim liquet, quid in versu 539: οὐδ'εἰσαμεῖψαι θηρὸς. ἐχθίστου δάκους sibi velit vox „θηρός“ quae idem atque in eodem versu δάκους significans sine ullo dubio interpretamentum librarii est. Quod iam Schuetzius intellexit, qui pro „θηρός“ nomen ipsum Σφιγγός in textum recepit. Haec coniectura mihi arrideret, si ea v. d. magis rationem habuisset participii subsequentis „φέροντα“ quod omni fere caret relatione. Nam si „φέροντα“ subiectum esse velis, optimo iure requiritur articulus τόν, quo is qui signum portat, cognoscitur velut etiam versu proximo recte „τῷ φέροντι“ id est „dem Träger“ legimus. Sin vero quod nonnulli opinantur εἰκώ subiectum cogitatur, vocabulum φέροντα, quod est generis masculini, ad εἰκώ nullo modo adnecti potest. In eundem atque Schuetzius errorem incidit Franckenius, cuius emendatio „εἰςαμεῖψαι τεῖχος“ nimis audax, ne dicam, absurda est, nam „murum intrare“ pro „murum ascendere“ quis unquam simile quid audivit? Fortasse pro „θηρός“ scribendum est „κεῖνον“ id est „illum“, qua ratione meo quidem iudicio sententiarum connexus plane perspicuus restituitur. Redit enim „κεῖνος“ ad Parthenopaeum, de quo iam versibus duobus antecedentihus rex dixerat: „Actor non patietur linguam factis non probatam (sc. Parthenopaem) in portas irruentem mala facinora patrare neque (patietur), pergit rex, illum intrare in clipeo signum invisi illius monstri portantem“. Sic habet participium „φέροντα“ quod cum „κεῖνον“ arctissime coniungendum est, quo commode referatur.

Scrupulum porro iudicibus iniecit v. 541:

„ἔξωθεν εἴσω τῷ θέροντι μέμφεται“

quia desideretur aliquid, ex quo perspiciatur, quisnam illum portantem vituperaturus sit. Huic rei praeclare

satisfecisse mihi videtur Burges, cui omnes fere vivi docti assentiuntur. Effecit enim emendatione sua ἤ'ξωθεν, ut felicissime v. 541 continuet versum 540. Quae remedia si placent, in orationum quinto pari nihil iam esse credo, quod sermonem hiscere nobis persuadeat et illam Ritschelii de responsione sententiam firmet.

Sextum orationum par eundem versuum numerum continens consonat. Is tamen concentus ab ipsis aequabilitatis restitutoribus in dubium vocatus est. Offenduntur enim viri doctissimi versibus 554—56, quibus crimina exhibeantur, quae rectius Polynici quam Tydeo conveniant. Quare Ritschelius versum 555 post v. 558 Polynici tribuit, Quaeritur iam, num merito Tydeus Furiae coactor caedisque satelles appellari possit. Equidem contendere ausim eam contumeliam vel optime quadrare ad Tydeum, quem huius belli et aliorum facinorum malorum auctorem fuisse cum poëta ipse verbis „τὸν ἀνθροφόντην“, τὸν πόλεως ταράκτορα“ satis indicat, quae scholiasta sic explicat: „ἐπεὶ τοὺς Μέλατος ἀπέκτεινε παῖδας, 'Αλκάθον καὶ Λυκαυγέα, tum Apollodorus III, 6, 8 veteres fabulas secutus affirmat: „μισῶν Τυδέα ὅτι παρὰ τὴν ἐκείνου γνώμην εἰς Θήβας ἔπεισε τοὺς 'Αργείους στρατεύεσθαι. Hinc intellegi potest, cur Amphiaraus non aequabiliter convicia dispertiat sed Tydeum, quem odit, vehmenter increpet, Polynici autem maxime bellum contra patriam inuste susceptum crimini vertat. Cum igitur iure ea quae versuum ordo tradit convicia in Tydeum congesta videamus, Ritschelii rationem transponendi respuimus, qua fieret — id quod Weilius rectissime monuit, ut nomen Polynicis a verbis τοὔνομ' ἐνδατούμενος invicem cohaerentibus seiungeretur.

Jam venimus ad versus 557 560, quos depravatos esse inter omnes fere constat. Legimus ex codicum fide:

καὶ τὸν σὸν αὖθις πρόσμορον ἀδελφέον
ἐξυπτιάζων ὄνομα πολυνείκους βίαν
δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος.

Primo eiiciamus necesse est vocem „ἀδελφέον“ quae tragicis prorsus non usitata prodit librarium, qui nescio an genuinam scripturam „κάσιν“ interpretatus sit additamento ἀδελφέον. Sin vero poeta „κάσιν“ scripsisse putatur, quod verisimillimum est, vocabulum πρόσμορον stare metrum vetat. Qua re viri docti certatim remedia adhibuerunt. Quorum maxime Hermannus ad veritatem accessisse mihi videtur. Is enim ut locum mendosum sanaret, duas lectiones dedit, quarum priorem „εἰς ὁμόσπορν κάσιν“ Ritschelius laudavit, cum Hermannus ipse in editione „ἐς πατρὸς μοῖραν κάσιν“ proponeret. Equidem priorem malim, quamquam omne punctum probabilitatis non affert. Amphiaraus. enim, qnem ad portam Homoloidem (cfr. 551) morari poëta exposuit, ita remotus est a Tydeo et Polynice, ut eos conspicere nequeat. In absentes igitur cogitandus est increpans, ut etiam Tydeum absentem increpuerat. Itaque cum vocula „εἰς“ locum non habeat, traditum illud „πρός“ retineo dubius, qualis sententia restituenda sit (nisi cui placeat „πρὸς παναίτιον κάσιν“, quod mihi in mentem venit.) Quidquid vero statueris, emendationes ceterorum criticorum probari non possunt, quoniam aut aeque falso atque Hermannus Amphiaraum faciunt coram Polynice et Tydeo maledicentem aut verba proponunt, quae apud tragicos quidem non exstant, velut Keckius, qui „πρὸς μοιραγέτην“ suspicatus vocabulo „μοιραγέτης“ Peloponnesiorum ducem significari explicuit. Hoc nimis audacter, ne dicam, perverse, effictum esse libenter quisque concesserit.

In versu proximo „'ὄνομα“ illud, quod sensum non habet, iam Schuetzius ingeniose mutavit in 'ὄμμα, quam emendationem Heimsoethius causis non iustis impugnavit. Versus, qui sequitur, integer non est. Libri praebent: „δίς τ' ἐν τελεντῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος, ad quae scholiastes adnotavit: „εἰς δύο διαιρῶν τὸ 'όνομα τοῦ Πολυνείκους τὸ πολὺ καὶ τὸ νεῖκος. At vero verbum ἐνδατεῖσθαι non de nomine

partiendo sed contumeliose inferendo usurpatum esse hi loci demonstrant. Eur. Herc. Fur. 218. Sophocl. Tr. 788. Qua de causa Amphiaraum arbitror nomen male ominatum Polynicis bis appellavisse idque tamen non in oratione exeunte sed iam primo ab hoc sermone. Corruptelam vero, quae in verbis „δίς τ'ἐν τελευτῇ“ inest, Hermanni coniectura δυςεκτέλευτον minime sublatam video. Nam nemo poëtarum scenicorum, quos equidem sciam, hoc vocabulum adhibuit, quo, ut alia omittam, articulus inter adiectivum et substantivum insolenter medius ponitur et vocula δις sine causa immutatur in δυς. Neque Weilius recte sensit, qui δίς γ'ἀντὶ λύμης scribens parum considerasse videtur, hac ratione verbum ἐνδατούμενος moleste iterari vocabulo „λύμη.“ Quidquid autem de toto loco iudicas, emendationibus opus est, non lacunis statuendis, ut Rischelius voluit, qui post v. 559 versum ad hunc modum inseruit:

